DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYSTERIA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYSTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS WINSTANLEY,

ANGLUS:

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOD. EXTRAORD.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

" *Causa latet, vis est notissima.*"

OVID. *Met.*

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1806.

JOHANNI HULL, M. D.

&c. &c. &c.

IN RE MEDICA ATQUE BOTANICA

PERINSIGNI,

SORORIS DILECTISSIMÆ

MARITO,

HANC DISSERTATIONEM

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYSTERIA.

HISTORIA ET SYMPTOMATA.

INTER varias indagationes, in quibus mens humana versatur, quæ ad discriminationem, et classificationem morborum spectant, difficultatum minimè expertes sunt. Cùm ad multas, et varias affectiones, et mutationes, corpus humanum, perpetuò objectum est, quibus, morbi peculiares dignoscuntur, gnaviter diligere, valdè difficile est.

Hæ difficultates, omnes quæstiones nosologicas circumveniunt; cùm autem de morbis

generis nervosi quæstio oriatur, maximè apparent. Ignorantiam de natura intïma morborum hujusmodi, nobis necesse est confiteri.

Compressiones cerebri, functiones animales obruere, et ligamenta in nervos imposita sentiendi facultatem, et motum voluntarium impedire, experimentis comprobatum est. Sed quibus modis morbi, hæc symptomata inducunt, omninò ignoramus. Quando vis potentissima musculorum, puncto temporis, debilitati plùs quàm infantili succumbit, quotuscunque physiologicus tam peritus, anatomicus tam acutus, quin in lucem proferre illam mutationem structuræ fibræ nervosæ, hoc modo mirabili, et subito agentem, haud arbitrii sui confitetur.

Tota ferè symptomata, quæ aliquis morbus, generis nervosi, ostendit, communia sunt omnibus. Pathognomonicum symptoma igitur vix sperandum, vel obtinendum est. His impedimentis, et difficultatibus existentibus, nosologiæ

sologiæ satis sit describere, quoniam definire strictè non potest.

Hysteria morbus de quo nunc agimur, medicis antiquis cognita fuit. Descriptiones accuratissimæ symptomatum ejus ab iis, nobis traditæ sunt. Ex hypothesi, tam antiqua fortassè, quàm prima observatio morbi, affectiones uteri solas hysteriam producere, nomen derivatur. Symptoma huic morbo peculiare, globus nempè, existimatum est originem trahere, ex ascensu uteri, per cursum tortuosum tubi intestinalis, in partem thoracis superiorem.

Aretæus, de hoc morbo scribens, uterum in situ, animali uni alterum animal includenti, comparat. Utero ascribit motus voluntarios, et odoratum, et inde methodus medendi deducitur. Gummi fœtida ad fauces applicata sunt, eò quòd novus uteri situs ingratus redderetur ; et fragrantia per vaginam administrata sunt, ut hoc organum vagrans, in sedem solitam reduceretur.

Cullenus

Cullenus celeberrimus, in Nosologia sua, in secunda classe, *Neurosium*, et in ordine *Spasmorum*, Hysteriam posuit. Hanc definitionem hujus morbi dedit: "Ventris murmu-
"ra; sensus globi in abdomine se volventis,
"ad ventriculum, et ad fauces ascendentis,
"ibique strangulantis; sopor, convulsiones,
"urinæ limpidæ copia profusa; animus, nec
"sponte, varius, et mutabilis."

Hysteria, strictè dicta, paroxysmis adoritur. Paroxysmis aliquando antecedunt anxietates, et dolores abdominis errantes, præsertim lateris sinistri. Aliquando æger sensûs subitò expers fit, nullâ affectione molestâ præcedente. Motus voluntarius in totum abolitus est. Post tempus breve, spasmus totius corporis accedit. Musculi capitis, colli, extremitatumque rigidi, et immobiles fiunt. Manus vehementer comprimuntur, et os tam strictè occlusum, ut vix aut ne vix quidem aperiri possit. Convulsiones hunc statum immobilem, nunc seriùs, nunc ocyùs sequuntur. Manus adhuc compressi, aut pectus feriunt, aut variis modis

jactantur,

jactantur, rapidè et vehementer. Hi status motûs convulsi, et rigoris spasmodici, alternis vicibus, durante paroxysmo, frequenter recurrunt. Distortiones oris horribiles, speciem risûs vehementem præ se ferentes, planctis, ejulatibus, suspiriisque profundis alternatæ, unà cum renovato sensu apparent. Æger nunc quasi e somno expergefaciens, anxius, delassatus, debilis, præteritique inscius, tardè resurgit.

Paroxysmo perdurante, respiratio ferè tardior fit, et tam languida, ut vix percipienda; aliquando frequens, anxia, et manifestè ardua, et dolens. Pulsus nunc tardus, et debilis est, nunc citatus, durus, et vacillans. Paroxysmus nunc diu perstat; nunc feliciter brevis ævi est.

Fluxu copioso urinæ limpidæ, (symptomate pathognomonico, ut aliquîs medicis scriptoribus videtur), paroxysmus hystericus sæpissimè stipatur. Musculi abdominales validè contrahuntur. Umbilicus intro tractatus.

Sphincteris

Sphincteres ani et vesicæ fortiter occluduntur. Ægri motubus involuntariis obnoxii sunt: nunc rident; nunc lachrymant; ex causis non æquis nunc læti sunt, et nunc contristantur. Vanis imaginationibus, et etiam quodam delirio, mens capta est.

Paroxysmo appropinquante, frigus unà cum sensu rigiditatis musculorum crurum, et trunci corporis, sentitur. Pandiculatio, brachiorum porrectio, animi depressio, anxietas circa præcordia, subsequuntur. Ventriculus, vel aliqua pars tubi intestinalis, flatu distenditur. Respiratio fit crebra; cor palpitat. Ructus, vomitus, vertigo, tinnitus aurium, sensus nunc imminuti, nunc nimis acuti, hunc morbum infaustum indicant. Caput, dolore maximo afficitur. Dolor aliquando totum caput invadit; aliquando autem partem minutissimam capitis solummodò vexat. Hæc affectio circumscripta, et dolorifica, *clavus hystericus* appellatur, ex sensatione quasi clavi, in caput violenter impacti.

Hysteria

Hysteria irregularis, mulieres infirmatas, magnâ mobilitate, animi irritabilitate præditas, adoritur. Paroxysmorum hujusmodi symptomata variant in diversis ægris, et etiam in eadem ægra, in variis insultibus. In comate non terminantur, sed sæpè in syncope, et etiam in asphyxia, horas, vel dies plurimos durante. Mulieres in paroxysmo hujusmodi, quasi mortuæ, fortassè sepultæ fuerunt.

Hysteria irregularis, varios morbos exquisitè simulat. Formæ quibus se induit, sunt tam numerosæ, ut non sit mihi locus rationem earum reddendi. Si hysteria appareat dum alius morbus adsit, medici, hysteriæ, hunc morbum ascribere solent; sed rectiùs fortassè foret, hysteriam, huic morbo attribuere; nam sæpissimè morbos debilitantes, ut Hæmoptoën, Arthritiden, Nephralgiam, pathemata hysterica subsequuntur.

An homines, hystericis affectionibus, obnoxii sunt, multùm disputatur. Scriptores medici fidei digni, quæstionem peracutè trac-

taverunt.

taverunt. Morbus fortassè definitione accurata caret. Si globus hystericus sit symptoma pathognomicum, homines hanc sensationem passi sunt. FERRIER, exemplum prodit juvenis, decimo septimo ætatis anno, duobus, vel tribus paroxysmis indies affecti; sub initio singulorum, globum sentiît. TROTTER, de Typho scribens, dicit, globum hystericum symptoma frequentissimum esse inter copias Hibernicas, et plurimas eorum timore strangulationis perterritas esse. Idem auctor de ægris in naves receptis, sic dicit: "Plurimi, "hystericis affectionibus sæpissimè vexati "erant. Viros, hic morbus adortus est, tam "violenter, quàm in mulieribus unquam a "nobis visus est, globo, dysphagiâ, risu im-"moderato, lachrymis, delirio, comitantibus. "Qui adstant, ægros videntque, similiter ac "mulieribus frequenter accidit, morbo invi-"cem affecti sunt, adeò ut sanorum consor-"tium proximum cum insanis prohibere ne-"cesse esset."

Si Hysteria de affectione aliqua ignota, systematis

systematis nervosi, tantùm pendeat, ut homines hanc affectionem pati possint, facilè est credendum. Exempla jamjam recensita, hoc comprobanda, adducere nobis liceat. Sed conformatio plùs valida, habitusque corporis minùs irritabilis, insultos hujus morbi, frequentiùs depellere possint.

Ejectiones flatuosæ, quæ hunc morbum ferè comitantur, causæ videntur globi, qui est inter symptomata dolentissima. A spasmo tubi intestinalis, exitum flatûs impediente, pressuramque in tracheam cum sensu suffocationis inferente, oriri putatur.

Ab fluxu subito et aucto urinæ, medici putaverunt esse cursum breviorem ad renes ex ventriculo quàm per circuitum sanguinis. Darwinus motui retroverso vasorum vesicæ absorbentium, hunc fluxum ascribit: absorbentibus ejus, diathesi hysteriâ instante, quæ continent in vesicam reducentibus, potiùs quàm in cursum continuum lymphaticorum immittentibus.

Ars chemica fertur portionem minutam *ureæ* in urina hysterica invenire; sed exempla hoc confirmanda, rara sunt.

DE CAUSIS.

Observationes proferre de theoria absurda, quæ hystericas affectiones, uteri motubus assignant, non necesse habeo. Conditiones quædam uteri et affectiones hystericæ intimè associantur, et sese invicem sæpissimè concomitantur. Hysteria mulieres ferè non adoritur ante annos pubertatis, et rarissimè post mensium cessationem. Sexagenarias, medicis fide dignissimis judicantibus, aggressa est. Tempestate menstruale sæpè conjuncta est. Ante fluxum mensium non infrequenter apparet, et sæpissimè mensium obstructione, menorrhagiâ, fluore albo, præcedentibus, se ostendit.

Ex

Ex his apparet, uterum hysteriæ tantùm causam esse ubi prædispositio adsit; quoniam hæ affectiones uteri mulieres vehementer vexant, quæ sunt hysteriæ symptomatum omninò expertes. Exempla hysteriæ in viris obvenientis jam nunc recensita, satis comprobant, uterum non unicam, sed propter magnum momentum ejus, in conformatione muliebra, esse causam frequentissimam hujus morbi: actio systematis sanguinosi aucta, vel minuta, inter causas hysteriæ annumeratur; et praxis fausta ex utrisque suppositionibus oriens rem ipsam confirmat. Debilitas, sæpissimè spasmis vehementissimis, stipata est.

Sectio cadaverum ad causas hysteriæ detegendas, parùm profuit. Illæ mutationes nervosi systematis quibus diathesis hysterica innititur cultello non detegi possunt. Hysteria non semper ex morbis uteri infaustissimis enascitur. Virgines, et steriles, sæpè non adoritur, cum maritæ, et puerperæ, insultos ejus sentiant. Mulieres quædam, mensium constante fluxo, utero sano existente, non

morbi

morbi expertes evadunt, cùm in aliis, tumores scirrhosi, polypi, vel etiam carcinomata, non hysteriam inferunt.

DIAGNOSIS.

Quomodo potestatem morbos periculosissimos tutè simulandi corpus humanum acquirit, omninò nescitur. Hanc potestatem, diathesis hysterica, imprimis possidet. Species, et symptomata morborum diversis gradibus, faciliter induit. In Hæmoptoë hysterica, symptomata infaustissima ægros aggrediuntur; sed pulsus æqualis, et parùm citatus, globus suffocans, veram morbi naturam indicant; et etiam hæmorrhagiæ copiosissimæ ex pulmonibus expertes periculi compertæ sunt. Quando diathesis hysterica polleat, viscera diversa alternatim adoritur, et morbi singulis proprii, accuratè simulati sunt. Symptoma-

ta

ta paralyseôs, phthiseôs, icteri, enteritidis, palpitationum, nephritidisque, rapidâ serie comparant, et ægros, eorumque amicos terrent, donec hysteria regularis, omne instans periculum depellens, sese ostendit. Inter hysteriam, et hypochondriasin, diagnosis est adeò difficilis, ut plurimi medici auctores, duos morbos conjunxissent, hysteriam sexui muliebri soli attribuentes. Ab auctore *Zoonomiæ* celeberrimo, hi morbi duo sic distinguuntur. In Hysteria, motus tubi intestinalis retroversi sunt; in Hypochondriasi, debilitas, vel irritabilitas hujus organi tantùm adsunt. Ab Cardialgia, vel Apepsia, natura materiei ex ventriculo ejectæ, et spasmus strangulans, hunc morbum dividunt. Fluxu copioso urinæ in initio paroxysmi, sensu suffocationis, et globi ascendentis, instantis formidine mortis, Hysteria ab Epilepsia discerni potest.

In Syncope, actiones cordis et arteriarum ferè omninò cessant; in Hysteria, tantùm imminutæ sunt.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Hysteriæ minùs discrimen inest quàm pro symptomatibus. Plus formidinis quàm periculi morbum comitatur. In plurimis exemplis quanquam non sit penitùs eruenda, tamen propriis remediis maximè sublevata sit.

Quando morbos maximam prostrationem virium inducentes sequetur, prognosis est infaustissima. Hysteria regularis, puerperas adoriens, medicis acutis judicantibus, ferè semper est lethalis. Hysteria in morbos mortem maximè minitantes, in tetanum, in epilepsiam, in paralysin, vel etiam in apoplexiam, sæpissimè transit.

CURATIO.

CURATIO.

Ex hypothesi, hysteriam quadam affectione systematis nervosi constare, methodus medendi stabilitus est. Experientia et observatio medicorum comprobaverunt, contra has affectiones quædam remedia multùm pollere. Huic remediorum classi, nomen *antispasmodicorum*, ferè datum est. Hoc nomine, ut quod effectum solummodò exprimit, mihi curationem dicenti, liceat uti.

De remediis, alia ad paroxysmos instantes præveniendum, alia ad durantes depellendum, adaptata sunt. Singulorum pauca, nunc annumeranda sunt.

Moschus ad veros spasmos resolvendum parùm pollet; iis quandoque administrandus sit,

sit, qui opio non sublevandi sunt. *Camphora*, vim antispasmodicam moscho majorem possidet. Ubi diathesis phlogistica adsit præcipuè exhibenda est; nam ita pulsus fit minùs celer, et firmior.

Gummi ferulæ assæfœtidæ, quanquam aliquando vi caret, hystericis affectionibus tamen frequenter multùm prodest. *Æther sulphuricus* paroxysmos minùs vehementes reddit. *Opium* ad spasmos puros depellendum, omnia alia medicamenta certè antecellit. Si pulsus sit durus, et citatus, cum calore maximè aucto, venæsectione priùs necesse est uti.

Paroxysmis violentis æger, *ammoniâ* tincturâ gummi fœtidorum commistâ, excitari potest. Frictiones fortes, linteis asperis pedibùs sedulò applicandæ, ammoniæ præparationes et alia volatilia ad nares tenendæ sunt. *Castoreum* systema uterinum præcipuè afficit. In affectionibus hystericis, amenorrhœa, vel dysmenorrhœa,

dysmenorrhœa stipatis, summo cum fructu igitur exhibeatur.

Quando vis deglutiendi abolita sit, enemata exhibeantur. Opium commistum antispasmodicis, nempè assafœtidâ, et castoreo, per anum injiciendum est. Clysmata aquæ frigidissimæ aliquando spasmos faustè solvunt. Balneum frigidum, affusiones aquæ gelidæ tentanda sunt. Obstipatio hysterica ab purgationibus validis occurrenda est. Hæc remedia donec excretiones alvinæ naturales fiunt, continuanda sunt.

Hystericæ affectiones, quibus dolores capitis vehementiores, vel actio sanguinis maximè aucta adsunt, venæsectione optimè sublevandæ sunt.

De remediis, paroxysmo intermittente, nunc breviter dicendum est. A dietâ minus nutrienti, et exercitatione frequenti sed miti, faciliùs quàm venæsectione, vel purgantibus, plethora, spasmos hystericos concomi-

tans, amovetur. Causæ occasionem morbi præbentes, evitandæ sunt. Pathemata animi violenta mitiganda. Fatigatio et intemperantia omnigena prohibenda. Mens lepidis, venustisque captanda. Mansio nosocomica, iis qui huic morbo obnoxii sunt, minimè prodest. Infaustissima, hîc audiuntur; mœstissima, hîc videntur, animum perturbantia, deprimentia, contristantia. Remedia antispasmodica, per multum temporis repetita, vim ferè amittunt. Dosis eorum augenda est, quòd actio in systema durescat. Opium diu exhibitum ventriculo nocet, et usus ætheris continuus tantum damni secum affert, quantum liquorum spirituosorum ingurgitatio frequens.

Castoreum, moschus, assafœtida, spasmos sexiès vel octiès tantùm depellunt. Hæc remedia, igitur ne ultra certos fines, scilicet usque ad paroxysmos tantùm removendum, usurpanda sunt. Curatio absolvenda est iis medicamentis, quæ ad actionem auctam vel diminutam

diminutam systematis, invicem apprimè aptata sunt.

Regnum metallicum remedia aliquot suppeditat, nempè præparationes variæ ferri, cupri, et zinci. Hæ vel corpus roborant, viresque ventriculi, et intestinorum reficiunt, vel insalubres systematis actiones, in sanos vertunt. Inter remedia hujus morbi, hydrargyrus chemicè paratus, et nitras argenti recensita sunt. Potestates eorum nihilominùs depellendi affectiones hystericas, experimenta hactenus minimè attestantur.

Cinchonæ diversa genera, laudibus maximè digna sunt: vires systematis debilitatas, redintegrant: stomachum et tubum intestinalem totum confirmant: cibi appetentiam excitant: corpus totum minùs mobile, et igitur morbis nervosis haud tam obnoxium, reddunt.

Catalogum remediorum ultrà amplificare, inutile foret. Tam multa annumerata sunt, quàm

quàm praxin in hoc morbo incertam, et fide destitutam esse, comprobare possint; et me maximè piget hanc conclusionem infaustam inferre, unum remedium indubitatum pluris futurum esse omni in re medica nunc *spasmodica* dictâ. Denique, totum morborum genus nervosorum in aterrima caligine mersum est, et felix ter et ampliùs, qui causas intimas, et curationem certam eorum, faustè illustret.

> "*Dum visum mortale malum, tantæque latebat*
> "*Causa nocens cladis, pugnatum est arte medendi.*"
>
> OVID. *Metam.*

FINIS.